



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Specvlvm Monachorvm D. Bernardi, S. R. E. Cardinalis, Et
Abbatis Cassinensis**

**Arnulfus <de Boeriis>
Bernardus <Ayglerius>**

Dilingæ, 1616

VII. De vera Morum conuersione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48585](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48585)

84 SPECVLI D. BERNARDI
quorum meritò quis inquietam di-
xerit.

CAPITVLVM VII.

IN QVO OSTEN-
DITVR QVÆ SIT
VERA MORVM
CONVERGIO.



AM, inquam, supe-
rius dicto de stabilita-
te quæ Monachum
interius, & exterius
ad veram conuersio-
nem morum ordinat, & disponit;
& prætaçtis illis ex quibus impedi-
tus stabilitatem miser relinquit, &
à sublimibus ad inferiora descen-
dit: nunc de vera morum conuer-
sione subiçitur rubrica, quæ stabi-
litate mentis, & corporis iuuatur,
nutritur, regitur, & causatur.

Est

Est autem conuersio quædam, quæ est peccatoris, quando conuertitur à peccatis: Est & alia species conuersionis, quæ est morum per ingressum Religionis. Et non minora videntur mihi requiri ad conuersionem morum, quàm ad conuersionem requirantur peccatorum.

conuersio duplex peccatorum & morum.

Quid verò in vtraque conuersione requiratur, per ipsius Etymologiam vocabuli exprimitur; scilicet vt cor ex omni parte versetur, secundum quod Magister Gratianus super illo verbo, *Conuertimini ad me,* Zach. 1.

Etymologia conuersionis.

& ego conuertar ad vos; dicit: conuersio enim, est vndiq; cordis versio. Si verò cor nostrum vndique à malo ad Dominum conuertatur, mox suæ conuersionis fructum meretur: vt Deus ab ira ad Misericordiam conuersus peccatori præstet indulgentiam, cui primò præparabat vindictam. Vndique ergo exigitur cordis versio, & quando fit

D 7 pecca-

peccatorum conuersio, & quando
 fit morum emendatio: vt sicut fuit
 vndique versus, & conuersus à pec-
 catis; ita conuertatur, & vndique
 vertatur à vitæ actibus secularis, vt,
 Deo autore, semel à peccatis con-
 uersus, in suis moribus sit iterum
 totus conuersus: sicut in lib. Regum
 3. Reg. 18. 37. Helias dixisse legitur: *Tu conuer-
 sti cor eorum iterum.* Et tunc fons la-
 chrymarum qui paruus est, in con-
 uersione morum, & per veram cō-
 templationem in lucem conuerti-
 tur & solem; sicut in Esther dicitur:
 Esther 10. 6. *Paruus fons creuit in fluium,
 & in lucem solemq; conuersus est.* Nam
 ista conuersio ad statum contem-
 plationis veræ lucis & solis, con-
 uersum illuminat subtracto velami-
 ne secularis conuersationis, vt dicit,
 2. Cor. 3. 16. *Cum autem
 conuersus fuerit ad Dominum, aufere-
 tur velamen: Dominus autem spiritus
 est: ubi autem spiritus Domini, ibi li-
 bertas.*

bertas Et sequitur: Nos verò omnes
 reuelata facie gloriam Domini specu-
 lantes, in eandem imaginem transfor-
 mamur à claritate in claritatem, tan-
 quam à Domini spiritu. De fructu v-
 triusq; conuersionis, & sublimitate
 contemplationis legitur in Ieremia:
 Si conuertéris, conuertam te, & ante Iere. 15.
 faciem meam stabis. Et, sicut in prin- 19.
 cipio tactum fuit, ad hanc conuer-
 sionem, quæ est de moribus, Mona-
 cho non sufficit mutasse locum, as-
 sumpsisse habitum, altam deferre
 tonsuram, latamq; coronam, nisi
 mores sæculares abijciat, & in reli-
 giosos omnino conuertat. Illa enim
 non veritas, sed signa sunt, & um-
 bra quædam Religionis existunt.
 Vnde B. Bernardus: Corporis
 conuersio si Sola fuerit, erit nul-
 la. Forma siquidem conuersio-
 nis est ista, non veritas; vacua
 virtute, gerens speciem pietatis.

Sanè

*Vera cō-
uersio
debet
esse.*

Sanè ad veram conuersionem morum credo esse necessarium, vt ipsa conuersio sit mentalis in corde, verbalis in ore, exemplaris in opere.

*Menta-
lis.*

Conuersio Monachalis debet esse mentalis, & quantum ad intellectum, & quantum ad affectum: quantum ad intellectum, vt cogitationes malæ, quæ à Deo separant, auferantur; & studia bona & sancta per consequens acquirantur, & sic verè à via mala Monachus conuertitur. De his in lib. Sap. legitur:

Sap. 1.3.

Isa. 1016.

Ierem. 35. 15.

Osc. 5. 4.

Peruersæ cogitationes separant à Deo. Et in Isaia: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite bene facere. Et in Ieremia: Conuertimini unusquisque à via sua pessima, & bona facite studia vestra. Sed qui non conuertitur verè, non vult intellectum ad cogitandum de Deo dare; vt dicitur in Osea: Non dabunt cogitationes

nes

nes suas ut conuertantur ad DEVM suum. Qui autem non intelligit, nec per consequens rectè diligit; & qui se Deo non coniungit conuertendo & diligendo, nec dilectum recipit, ut ad ipsum conuertatur amando. Vnde in Cant. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ergo ipse mihi, quia ego sibi. Et iterum: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Ac si diceret: Ego ad dilectum meum intelligendum, & diligendum sum versus, & ipse ad me diligendo est conuersus. Et ideo debet à puritate intellectus descendere in teneritudinem diligentis affectus, & tunc sequitur quod nihil aliud diligit nisi Deum, & proximum secundum eum. Et iuxta hoc dicit Senec. Metuat, tristetur, & gaudeat. Vnde B. Bernardus: Attende solerter quid diligas, quid metuas, unde gaudeas aut tristeris. Idem; Conuertatur amotuus, ut nihil omnino diligas nisi

Cant. 2.

16.

Cant. 7.

10.

nisi Deum, aut certè propter Deum. Conuertatur etiam ad ipsum timor tuus: quia peruersus est timor omnis, quo metuis aliquem præter Deum, & non propter eum. Sic gaudium, & tristitia æquè conuertantur ad ipsum. Hoc autem principaliter fit Dei ministerio vt conuertamur mentaliter. Nam si verè conuertimur, per puritatis affectum ad statum innocentia inuouamur: sicut in Threnis legitur: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; in noua dies nostros, sicut à principio.* Deputatus namque ad cognoscendum intellectus, & tener ad diligendum ipsum affectus de facili illuminatur, vt defectus proprius cognoscatur. Vnde abominatio- nes primò Ezechieli ostenduntur, & ei multoties inculcatur: *Adhuc conuersus videbis abominatio- nes maiores.* Ingressus enim ad interio- riorem hominem, & progressus ad

Thren,
§. 21.

ad eius considerationem, etsi in introitu videat quasdam abominaciones, semper se considerando inuenit in se maiores, & magis cognoscit proprios defectus præteritos, & præsentis; sicut idem Ezechiel primò vidit; *Idolum Zeli in ipso introitu templi, sed postea dictum est sibi: Adhuc conuersas videbis abominaciones maiores.* Et sequitur quod vidit *septuaginta viros de senioribus domus Israel.* Et post pauca sequitur: *Vnusquisque habebat thuribulum in manu sua.* Iterumque dictum est ei: *Adhuc conuersus videbis abominaciones maiores.* Et sequitur: *Ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem.* Postremò dictum est ei: *adhuc conuersus videbis abominaciones maiores hic.* Post pauca: *Et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare, quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, &c.*
 Nam

Ezech. 8
 n. 6.
 n. 13.

Nam prædicto modo disposito intellectu, & ordinato pro posse affectu, quod credebat in se boni veritatem, inuenit solam esse similitudinem, & idcirco in prima consideratione sui occurrit idolum Zeli; nec enim in via potest haberi illius amoris certitudo, de quo in patria habebitur plenitudo. In secunda verò sui consideratione defectum esse considerabat, vbi virtutem esse credebat: quia inani gloriæ thurificando attribuitur, quod soli Deo, cuius est gloria, debebatur. Et ideo quemlibet seniore inuenit thurificantem, dum de virtutibus reperit præsumentem. Verum adhuc magis defectus suos cōsiderat; dum magis comminiscendo in interioribus intrat, dum se aliquid credit fortitudinis habuisse, & de illa Domino non seruisse, Adonidem plangentes inuenit mulieres. Adonidem quippe, seruiens eius, vel fortitudo

titudo eorum, interpretatur. Hic quippe à mulieribus plangitur, dum virtutis fortitudinem inaniter consumptam dolendo conqueruntur. Vnde lamentando in Iob. quaeritur: *Vbi est fortitudo tua?* Ipse non se iustificando, sed amissionem suae fortitudinis lamentando, respondet cum Isaia: *In vacuum laboravi, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Postremò dorsum quis contra templum se habere reperit, dum non virtutibus aliorum, sed diuitijs & honoribus intendit. Qui quidem ad Orientem adorat, dum generis nobilitatem, aut mundanam potentiam plus quam expedit, & debet honorat. Hac igitur cōuersione peracta in mente, oportet quod conuertatur in verbo & opere. Nam cum dixisset Dominus in Iohel: *Conuertimini ad me in toto corde vestro;* sic interiore homine conuerso, procedit ad exteriorem debitis adaptationibus

Iob. 4. 64

Is. 49. 4

Iohel 2. 12

aprationibus conuertendum, & ad conuersionem debitam exterius ordinandum. Vnde subiungitur: *In ieiunio, fletu & planctu, &c* Nec propter exteriorem est interior dimittedus, vel in aliqua relaxandus. Vnde sequitur: *scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Demum subdit premiū conuersionis, quod est benignitas diuinæ miserationis, dū dixit: *Et conuertimini ad Dominū DEVM vestrum: quia multus est ad ignoscendum: & quia benignus & misericors est.*

Planè prima conuersio interior est cordis, quam sequitur exterior, quæ est in verbis; & perficitur in operibus bonis; vt primò sit mentalis, secundò verbalis, tertio opere probabilis. Dicitur est de prima; subiungitur de secunda; quia nisi conuersus refranando linguam habeat labia circumcisa, erit conuersio religione vacua. Vnde dicit B. Iaco-

Iacobus: *Si quis putat se religiosum iacob. 26
 esse non refrænans linguam suam, sed 26.
 seducens cor suum, huius vana est re-
 ligio.* Pro eodem enim accipio
 conuersionem & circumcisionem:
 quia non est vere interius & exte-
 rius conuersus, qui non est in vtro-
 que homine circūcisus. Nam de in-
 teriori Apostolus ad Coloss. ait;
*Circumcisi estis circumcisione non ma- Coloss. 26
 nu facta.* Ad quam mouetur in 11.
 Deuteronomio; *Circumcidite præ- Deutero
 putia cordium vestrorum.* Dictum 10. 169
 est de prima & potiori: sed in lo-
 sue dicitur de secunda posteriori &
 exteriori: *Circumcidite secundo si- Ios. 5. 20
 lios Israel.* Et nota quod inter illa
 quæ non modicum manifestant
 veram conuersionem, vel dissolu-
 ti irreligiositatem, est bona vel
 fatua loquela; vnde dicitur in
 Matthæo: *Galilæus es, nam & lo- Mat. 269
 quela tua manifestum te facit.* Igitur 736
 circūcisus in mente, circum-
 cidatur



cidatur in ore. Hanc eandem circumcissionem celebrare solemniter voluit N. B. Magister, dum Linguae vitium damnauit terribiliter dicens:

Cap. 6. Scurrilitates, vel verba otiosa aut risu mouentia, aeterna clausura in omnibus locis damnamus. Vides charissime non vnus diei, sed aeternitate temporis appositam mensuram; non in vno loco, sed in omnibus mirabilem datam clausuram, Imitatus est Paulum Apostolum patrem & Magistrum Monachorum; nam Apostolus dixerat ad Ephesios: *Omnis*

Ephe. 4. sermo malus ex ore vestro non procedat,
 29. *Nihil autem excipit, qui dicit omnis. Sed cum expedit vt quis loquatur, qualis debeat esse sermo, subiungitur dicens: sed si quis bonus ad edificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Dissuadetur igitur sermo malus, permittitur aliquando sermo bonus, nec simpliciter omnis bonus, sed edificatiuus, &

gra.

gratiae operatiuus; nam interdum
 silendum est Monacho, & maxime
 subdito, & saepe Prælato: unde de
 taciturnitate, præmisso verbo Psal-
 mistæ: *Dixi custodiam vias meas, ut* Psal. 38.
que ibi, Silui à bonis: dicit B. P. N. cap. 6.
 Benedictus. *Hic ostendit Propheta, si*
à bonis eloquijs interdum propter taci-
turnitatem debet taceri; quanto magis
à malis verbis propter poenam pecca-
ti debet cessari. Et concludendo
 subiungit: *Ergo quamuis de bonis, &*
sanctis ad adificationem eloquijs, perse-
ctis discipulis, propter taciturnitatis
grauitatem, rara loquendi concedatur
licentia; quia scriptum est: in multi-
loquio non deerit peccatum. Et iterum:
Mors & vita in manibus linguæ; Nam, Prouer.
ut post subdit: Loqui & docere Magi- 10. 19.
strum condecet, tacere & audire disci-
pulo conuenit.

Circa hoc est Notandum quod,
 quando oportet Religiosum aliquid
 dicere, multum debet curare, ut sit

E circum-

*Religio-
si locu-
tio fit.*

circumcisus in suo sermone. Debet enim Prælati & subditi locutio esse discreta, sana, cauta, ponderosa, vera, non ociosa, non maledicta, non detractoria, non adulatoria.

*Discre-
ta.*

Quod debeat esse discreta, dicit Gregorius in Pastoralis: sit rector discretus in silentio, rectus in verbo & utilis. & B. Ioannes: Quoties loquimur aut non in opportuno loco, aut non ut conuenit audientibus, toties sermo malus procedit de ore nostro ad destructionem eorum qui audiunt. Cōsideremus itaq; quid loquimur: *Mat. 12. 36. Quia pro omni verbo ocioso reddituri sumus rationem in die iudicij.*

Sana.

Quod debeat esse sana, dicit Anacletus Papa in decreto: Sane percussor ille Doctor dicitur, qui sermone inutili conscientiam percussit infirmorum, ideo tenere vos, & omnes fideles oportet, cum qui secundum doctrinam & fidelem sermonem est, ut potens sit consolari in doctri-

na sancta: & contradicentes redarguere, & recte viuentes, atq; fidem tenentes consolidare.

Item de cautela verborum dicit B. *Cautela*
Gregorius: Cum rector se ad loquendum præparat, sub cautelæ studio vt loquatur attendat, ne si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur.

De ponderatione verborum in *Ponderosa*
Decreto Calixtus Papa loquitur dicens: Ponderet vnusquisq; sermones suos, & quod sibi non vult loqui, alteri non loquatur.

De veritate sermonis Chryso- *Vera*
stomus ait: Ideo Dominus inter iuramentum & loquelam nullã vult esse distantiam: quia sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam; ita quoq; in nostris verbis nullũ conuenit esse mēdacium: quia vtrumq; periurium, & mendacium, diuini iudicij pœna damnatur: dicēte scriptura: Os q̄ mentitur occidit animã.

E 2 Item

Non otiosa.

Item quod sermo non debeat esse otiosus, satis est ostensum superius, vbi dictum est eum esse debere discretum.

Non maledica.

Item nec maledictus: sermo enim maledictus frequenter in maledictionem loquentis reuertitur; sicut dicit B. Augustinus: sicut avis inventum volans, aut passer quolibet vadens; sic maledictum frustra prolatum venit supra illum, qui misit illud. Et Hieronymus ait: Qui negligunt oris maledicti consuetudinem refecare, etiamsi non corde maledicant, tamen immunditiam labiorum, secundum Isaiaꝝ verbum, & inquinamenta oris incurrunt.

Non detractoria.

Nec detractorius sermo debet esse. Vnde Auertius Papa referens Nicenæ synodi inter cætera dixit: Caueat vnusquisq; ne aut linguam, aut aures habeat prurientes; id est, ne ipse, aut alijs detrahat, aut alios detrahentes audiat. Et post pauca:
Parcant

Parcant singuli detractorijs linguæ,
custodiantque sermones suos, & di-
scant, & sciant; quia cuncta quæ de
alijs loquentur, sua etiam sententia
iudicabuntur.

De adulatione pulchrè B. Grego-
rius dixit, super illo verbo: *Ipse ædi-*
ficabat parietem, illi autem linebant
eum. Parietis quippe nomine pec-
cati duritia designatur. Ædificare
quidem parietē est contra se quem-
piam peccati obstacula construere:
sed parietem liniunt qui peccata
perpetrantibus adulantur. Ut quod
illi peruerse agentes ædificant: isti
adulantes quasi nitidum reddant.
Item de adulatione & adulationis
malo, Augustinus ait, Nemo peri-
torum & prudentium putet quod
minus sit periculum in verbis, lin-
gua mentiēdo, quam manibus san-
guinem fundēdo. Melius est enim
propter veritatem pati supplicium,
quam pro adulatione beneficium.

Non a-
dulato-
ria. E-
zech.
13. 19.

Ultimum quidem quod requiritur ad conuersionis verbum, est quod non sit murmuratorium, unde B. P. N. Benedictus ait sic. *Hoc ante omnia admonentes, ut absque murmurationibus sint Fratres. Item: Nam cum malo animo si obedit discipulus, & nō solum ore, verum etiam in corde si murmurauerit, etsi impleat iussionem, tamen iam acceptum non erit Deo, qui cor respicit murmurantis, & pro tali facto nullam consequitur gratiam, imo pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit. Murmuratio etenim in corde, & in ore grauissimā habet culpam: & ideo ad grauem obligat pœnā; sicut dicit Apostolus ad Corinth. Neq̄ murmuraueritis sicut quidam illorum murmurauerunt, & perierūt, ab exterminatore. Murmur enim non est solummodo contra Officialem, vel Prælatū, sed est expressè ac specialiter contra Deum; sicut Moyses*

Cap. 40.

1. Cor.
10. 10.

ses

ses de se dixit ad Aaron in Exodo:
 Nos enim quid sumus quia murmura- Exo. 16a
 stis contra nos? Nec contra nos est mur- 8.
 mur vestrum, sed contra Dominum.
 Verum est murmuratio signū cor-
 poris voluptuosè nutriti, & cor-
 dis iudisciplinati. De corpore nutri-
 to voluptuosè, & idcirco in religio-
 nis abstinentiâ murmurante, potest
 intelligi, quod legitur in Exo Mur-
 muravit omnis congregatio filiorum Is- Exo. 16a
 rabel contra Moysen & Aaron in soli- 2.
 tudine, dixeruntq; filij Israel ad eos: V-
 tinam mortui essemus per manum Do-
 mini in terra Ægypti, quando sedeba-
 mus super ollas carniū, & comedeba-
 mus panem in saturitate. Signum in-
 disciplinati cordis est contra corri-
 gentem murmurare: quia discipli-
 natus nō murmurat correctus, sicut
 dicitur in Ecclesiastico: *Seruo sensato*
liberi seruiunt, & vir prudens & disci- Ecclia
plinatus non murmurabit correptus. 10. 28a
 Nam disciplinatus tribulationem

E 4 sustinet

sustinet patienter, & in timore stat
 Domini perseueranter. At que-
 rulosus improperium suæ murmu-
 rationis & impatientię profert con-
 tra Deum, & Diabolus potestatem
Juditha accipit super eum, sicut ex libro Iu-
 8. 23. dicum colligitur. *Omnes qui pla-*
cuerunt Deo, per multas tribulationes
transierunt fideles. Illi autē qui tenta-
tiones non susceperunt cum timore Do-
mini, & impatientiam suam, & im-
properium murmurationis suæ contra
DOMINVM protulerunt, exterminati
sunt ab exterminatore, & à serpentibus
perierunt. His ergo consideratis,
 & plenè inspectis, si linguam laxan-
 di licentiam habeas, circumcisum te
 ac vtilem loquendo demonstras, in
 quo non sis insipiens; superfluous,
 vel damnosus, & in omnibus sis ra-
 tionabilis, non verbosus; sicut bea-
 tus Pater noster dicit. *Vndecimus*
humilitatis gradus est, si cū loquitur
Monachus, leniter, & sine risu, humili-
ter

ter, & cum gravitate, & pauca ver-
 ba, & rationabilia loquatur: & non sit
 clamorosus in voce, sicut scriptum est:
 Sapiens verbis innotescit paucis. Ta- ^{Eccl. 20d}
 citurnitatem igitur te Frater charis-
 sime habere consulo, & tunc non
 peccabis in verbo, sicut Magister
 noster ait: ^{Cap. 7^o} Nonus humilitatis gradus
 est, si linguam ad loquendum prohibeat
 Monachus, & taciturnitatem habens
 usque ad interrogationem non loqua-
 tur.

Ad exteriorem autem conuer-
 sionem etsi sit utilis linguæ coertio,
 & verborum moderatio, est tamen
 necessaria sensuum ordinatio. Est au-
 tem ordinatio in sensibus optima,
 quod non permittantur dominari
 vitia, sicut instruimur in Tobia: Su-
 perbiam nunquam in tuo sensu, aut in ^{Tob. 4^o}
 tuo verbo dominari permittas: in ipsa ^{14^o}
 enim initium sumpsit omnis perditio.
 Sensus enim prudeuter gubernati,
 ostendunt inhabitare virtutes in

Eccles.
10. 30

mente sensati, sicut dicitur in Ecclesiastico: *Ciuitates inhabitauerunt per sensum prudentium.* Nota, quod magna dicitur esse differentia inter seculariter viuentis sensum, & regulariter conuersantis: quia non debet ambulare in suorum sensuum vanitate, quasi intellectus obscuratus tenebrositate, neque viuat Laicaliter: nam & Laicus viuut quodammodo gentiliter, & cauet ab immunditijs peccatorum, vt non videatur esse de numero desperatorum. De his potest intelligi monitio Apostoli ad Ephesios dicentis: *Hac igitur dico, & testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulauit in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cecitatem cordis ipsorum, qui desperantes tradiderunt semetipsos impudicitie, in operationem immunditie omnis in auaritiam.* Est homo exterior cohiben-

Ephes. 4.
17.

hibendus, vt sit habitus honestus,
 non notabilis pretiositate, super-
 fluitate, vel singularitate. Ritus
 claustralis autem sit rarus & mo-
 destus, & incessus valde maturus:
 nam ista enunciant de eo, quod
 est in Monacho siue de bono, siue
 de malo, vt dicitur in Ecclesiasti-
 co: *Ex visu cognoscitur vir, & ab* *Becl. 19.*
occurſu faciei cognoscitur ſenſatus: A. 26.
mictus corporis, & risus dentium, &
ingressus hominis enunciant de illo.
 Si enim membra vestra ante con-
 uersionem fuerunt minus bene
 cohibita, post conuersionem de-
 bent ostendi munda, & iustifica-
 ta, sicut dicit Apostolus ad Roma-
 nos: *Sicut exhibuistis membra ve-* *Rom. 6.*
stra seruire immunditie & iniquita- *19.*
ti ad iniquitatem: ita nunc exhibe-
te membra vestra seruire iustitie in
sanctificationem. Hanc doctrinam
 exterioris conuersionis pulchre
 nec minus utiliter ministrat Mo-

Cap. 7.

nacho beatus Pater noster dicens: Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde Monachus, sed etiam corpore humilitatem se uidentibus semper indicet, id est, in opere, in Monasterio, in Oratorio, in horto, in via, in agro, vel ubicumq; sedens, ambulans, vel stans, inclinato semper sit capite, defixis ad terram oculis, reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei presentari existimet. Exterior enim ostensio moderationis, est argumentum sanctae conuersationis, & est via præclusio detractionis, sicut dicit beatus Petrus: *Conuersationem uestram inter Gentes habentes bonam: ut in eo, quod detrectant de uobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes, glorificent DEUM in die uisitationis.* Nam in sancta conuersatione perseverans Monachus, est non tantum Deo, sed & hominibus acceptus valde. De quo com-
menda-

1. Pet. 2.
22.

mendatur Tobias his verbis: *In bona vita & in sancta conuersatione permansit, ita ut acceptus esset tam Deo, quam hominibus & cunctis habitantibus in terra.* Tob. 140
17.

CAPITVLVM VIII.
IN QVO VERÆ
MORVM CONVER-

SIONIS IMPEDIMENTA NUME-

rantur, & euitanda comprobantur.



ICRO de aliquibus, quæ ad morum conuersionem faciunt, consequenter subiungitur de illis, quæ sanctam conuersationem impediunt. Sunt autem Consuetudinū prauitas, Monasterij laxitas, prædicationis raritas, exemplaris corruptibilitas conuersi, imò melius, peruersi mala voluntas. Conuersionem impediunt V.

E 7

Ad